

*adempta restituantur. Dei Optimi Maximi cultui, uti antea assueverant, inserviant: unicuique suis facultatibus absque molestia frui liceat. Quæ vero de Britannis, externisque dimittendis, oppidis, ac urbibus restituendis, ac de Concilio cogendo dicerentur, sibi probari.* Multis hinc, atque inde agitatatis, cum res prope confecta videretur, rursus eodem, quo antea, loco conveniunt: sed, novis excitatis controversiis, pace prorsus desperata, discessum est. Id vero minime prætermittendum, viros nobilitate insignes ita invicem dexteras junxisse, atque ad mutuos amplexus descendisse, ut nusquam certatum armis crederes. Fratres, propinqui, ac necessitudinis nexu adstricti, tunc more gentis lætitia diffuentes, postera die nullam sanguinis, nullam amicitiae rationem habituros, nemini se parciuros profitebantur: tantum in animis hominum affectus, ac semel haustæ opiniones possunt, ut, jure naturæ abrupto, cognationis atque amicitiae vinculis resolutis, arma in cognatorum viscera condantur, neque ab ullo ferinæ crudelitatis conatu abstineatur.

Condæus statim cum exercitu in Normanniam contendit, ut Anglorum subsidiis, quæ in Galliam transfretabant, peditatum augeret, Catholicosque ab Aureliani obsidione averteret. Regii Condæum ad Britanniae auxilia impedienda insequuti, duabus leucis (quæ quatuor Italica milliaria faciunt) ab hostibus trans Diviam amnem consistunt. In regio exercitu peditum decem ac novem millia, equitum duo millia; in foederatorum copiis quinque equitum, sex peditum millia adnumerabantur. Prælio decernitur. Primo concursu Condæus, ac Colinius tanto impetu Annam Momorantium, qui aciem ducabat, aggrediuntur, ut momento fere equitatum, atque Helvetios ingenti cæde disjicerent, ac prosternerent, ipso duce scloppetto in facie icto, & capto; ut nuntii foederatorum victoriae, ac regii exercitus cladis Lute-tiam perferrentur. At Guisus, qui eo usque spectator pugnae fuerat, cum recenti, ac expedito milite fessos hostes adortus, adeo acriter invehit, ut statim in fugam coniectos, terga dare coactos, ingenti interneccione protereret. Condæus captivus in regionum potestatem pervenit. Victoria regii, castris hostium occupatis, potiuntur. Exeunte decembri mense pu-

*Prælium inter regios & Condæum.*

*Anna Momorantius a Condæo captus.*

*Condæi profligatio & captivitas.*